Quaestio Quodlibetaria agitanda in Scholis Medic[orum] die Jovis 4a Febru.

M. Antonio Duval moderat[ore] prudentiss[imo].

Utrum Epilepsia sternutamento soluitur?

Substantia molli et alba cerebrum constans maius in homine quam in altera animalis specie, frigidum generationis rudimentum cum hepate et corde acquirit (etsi perficiatur ultimum) motus et sensus principium, unde motus et sensus expetes, facultatibus et diuinis functionibus instructum, frigidis et calidis necessario obnoxium, quorum copia (etiam boni humoris) vel qualitate (aut minima) laeditur, quae in ipso sunt, aut ab aliis corporis partibus affluxerunt.

Hoc ex tribus praecipuis perficitur sub cranio partibus, membranis duabus crassa et tenuiore cranio proximior adhaerente, et pia mater triplici vasorum genere contexta. altera sensus [illegible] est, substantia mollis et alba. tertia ventriculis constat. ita morborum tria patitur genera, quae actionibus laesis, aut doloris arbitratu, et aliis symptomatis distinguuntur. In membranis summus dolor. In substantia exiguus, aut nullus. In ventriculis aut nervorum principiis sensus et motus partium privatio, qualis in forti apoplexia, imbecillitas aut depravatio in [illegible] debili et epilepsia eveniunt.

Utriusque morbi causa humor frigidus vel vapor est causa, ille pituitosus saepius, melancholicus nonnunquam, raro sanguineus, rarissime et solute [illegible] biliosus. altera est causa [illegible] vapor ventriculos cerebri, [illegible] cordis vel nervorum meatus obturans. Opilatio ventriculorum cerebri [illegible] causa semper est proxima. Hae duae causae motum in epilepsia spasmodicum, in apoplexia, et etiam paralysi resolutorium pariunt. Illa tamen cum paroxysmis incipit, raroque in paralysim vertitur. Haec fortius vitam adimit. a mediocri vix liberatur, a debili saepe paralysis (si sanetur) aeque sequitur.

Grauitas capitis, vertigo perseverans cum debilitate sensuum, stupor, pigritiae, tremor in toto corpore potissimum capite, haec et alia futurae sunt epilepsiae prognostica ut et apoplexiae, in senibus hanc, in pueris illam (praesertim interlunio, aut [illegible] temporis genitis) hanc vel alteram in adultis denuntiant observata corporum dispositione, plerumque succedente aetate epilepsia (ut pleraque alii morbi) soluitur. locorum etiam mutatio, et temporum eandem elidit.

Facti huius morbi curatio concoquendo, evacuando, divertendo et radicitus evellendo perficitur: Concoquitur humor attenuantibus incidentibus et abstergentibus syrupis, cephalicis apozematis, [illegible] calore febrili. Evacuatur catapotiis familiaribus trahentibus humorem. diuertitur frictionibus, locis, et enematis pro materiae ratione praeparatis. prorsus evellitur apophlegmatismis, gargarismis, et aliis, sed praecipue sternutatoriis crassam et lentam materiam meatus obstruentem per cerebri stillicidium, infundibulum, et alios ductus emotam ducentibus.

Ergo Epilepsia sternutamento soluitur.

Ponebat Petrus de l'Ecluse Constantiensis 1580.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Nicolaus Millot.
M. Guillelmus de Baillou
M. Matt. Akakia med. et pr. reg.
M. Petrus de la Bistrade
M. Henricus de Monantheuil D. et p. r.
M. Antonius Duval pr. et med. reg.
M. Simon Pietre med. reg.
M. Nicolaus Jaquart.
M. Joannes Huguet.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE